QUAEDAM DE FEBRIUM PROGNOSI ANIMADVERSIONES MEDICAE...

G. B. Favero

QUAEDAM

DE FEBRIUM PROGNOSI

ANIMADVERSIONES

MEDICAE

QUAS

AD SUMMOS HONORES

RITE ASSEQUENDOS

IN CELEBERRIMO AC PERVETUSTO

ARCHIGYMNASIO PATAVINO

DISQUISITIONI PUBLICAE ADMITTIT

JOAN. BAPTISTA DE-FAVERI

SERRAVALLENSIS

PATAVII

TYPIS SEMINARII

MDCCCXXXIII.

Quod scimus debemus rationi, quod credimus auctoritati.

D. Augustinus.

Arduum summe profecto, et illi iniquum praecipue negotium fit, quem longa juniorem experientia non edocuit de mutationum, quas in organismo excitaverunt morbi, ambiguo exitu conjicere: quae tamen simul res, ut pathologorum consensus omnium evincit, maximam praesefert utilitatem, nec minoris momenti evadit, atque omnia illa, quibus prima necessitas a medicinae studiosis adnectatur. Et revera animus recte diu in morbi causis, genere atque indicationis modo immoratus, ad futuram aegri sortem, prosperam, miseram revocandus est: quod mutato nomine est prognosim instituere. Quantum haec cedant cum aegrotantis commodo, tum medici praesertim, ex illorum scriptis compertum est, qui de perversis corporis functionibus egerunt: etsi, ne longus, de aliis taceam, non possum tamen quin verba referam clariss. Tommasini hujusmodi inscripta (1):

(1) Op. min. Disc. sul pronostic. delle malattie Tom V. Bol. 1826.

Difficil cosa e di pericolo piena è una predizione di tal genere: che per l'una parte l'incuter timore d'inevitabile o probabil disgrazia, che poi non si avveri, può spargere di ridicolo il pronostico e l'arte: per l'altra troppo grave sarebbe l'angoscia di quel medico, il quale promessa avendo pochi giorni innanzi a sciagurata famiglia la guarigione d'un infermo sel vedesse rapire ad un tratto da morte inaspettata .... Che se è facile lo schermirsi dall'irragionevole curiosità di que' tanti che ne vorrebbero stringere ad un pronostico: non è facile egualmente resistere agli assalti di una sposa o d'una madre, che palpitanti chieggono ana parola da noi che ravvivi lo smarrito coraggio, o che intera disveli la già temuta disgrazia.

At euim dolendum studium illud, quo vetus medicina ruebat adeo alacris in hanc pathologiae partem sensim, labentibus saeculis, obtorpuisse, ut nostris bis temporibus excultum minus videatur. Summas quidem laudes non inficiabimur antiquitati, quae, cum maximam arti curam tunc vindicaret semejotica, nibil inobservatum relinquebat, quod morborum prognosim respiceret; hinc mirabilis illa tum Hippocratis, tum Galeni de morborum resolutione divinatio, remotiorem observantiam posteritatis adhuc ciet.

Jam vero cum morbos inter omnes, et quae prospicientium oculis objiciantur latius, ingentiorem constituentes adfectionum familiam, et quae versatilem praecipue characteris et symptomatum notam ostendant, cunctas ideo facies omni tem-

poris vestigio induentes febres sint; de febrium procul dubio prognosi disserere medicum in primis intererit. Quae cum ita sint, muneri satisfacturus, quod ad me attinet, nempe dissertationem pro laurea concinnandi; hoc mihi, quod evolverem argumentum suscepi.

Duplici ad morborum omnium, quocirca et febrium, prognosim via devenimus, quam aut ratio nobis, aut empirica observatio aternit; tutius vero tunc ingredimur, cum utraque, amice conjurans, empirico - rationale criterium suppeditet. Tunc enim medicus, ubi ad morbi theoricen ac nosogeniam prospexerit, atque illa omnia perscrutatus fuerit, ex quibus exitus varia pronunciare est, admodum rationi consentiens judicium instituere valet; aliunde vero ubi phaenomenis febrilibus ab argumentatione deprompta intelligentia atque explanatio desit, ad empiricam doctrinam confugit, atque illis tunc epigenomenis, quae de casta naturae interrogatione hauriuntur, prognosis innititur: quae, ne veritatis ullum insigne desit, plura simul amplecti momenta debet. Hinc subjecti dispositio primum atque conditio considerandae: deinde morbi causae respiciendae sunt: porro symptomata febrilia, ac praecipue virium status, perpendenda: febris demum typus et complicatio ad examen vocandi.

Antequam ad ea omnia disquirenda aggrediamur, gravissimi objecti non definitio manet nempe quod, ut non paucis libitum, nullam ante crisium evolutionem proferre prognosim cautum sit.

Ut in hoc opinionum concursu sententiam ferre possemus, ad crisium ipsarum doctrinam antea deveniendum esset: atque sic provinciam latam nimia oratione ingrederemur. Id tantum, ne crisium oraculis videar uoiversam bono animo fidem praestitisse, dicam, si quid utilitatis ex illa in medicinam facientes doctrina redundaverit, id praesertim in morborum febrilium prognosi solemna esse. In istis enim medici, et primi ante ceteros salutaris scientiae patres statutam periodum, ac determinatum plerumque typum invenientes crisi quoque tempus, sive febrium indicationi statuere: dies hinc indices, de quibus et Hippocratis loquuntur opera, manarunt; et signa criseos nunc rapidius, modo tardius ingruentis, mox salutaris, mox infaustae enumerata sunt. At illum, qui nimis vellet indulgere crisibus, ab eis etiam pro therapia normam deducere, in tot hipothesium palantem labyrintho error duceret. Nunc autem an crises qua levaminis causa, aut qua effectus, vel coeffectus habendae sint, id sublimium perscrutanti pathologorum acumini prudens relinquo.

Dispositiones interim considerantes primum, ex quibus etiam febrium prognosis componitur, inter subjecti conditiones recenseri aetas meretur: infantilis enim atque senilis parum favet; cum in ipsis vitale excitamentum, parva ac debili reactione gaudeat, et vires facilius collabantur. Pessime quoque temperamentum aut valde sanguineum aut nimis nervosum succurrit; quemadmodum et habitus admodum athleticus, aut macilenta et de-

licatula corporis constitutio, et illos majori periculo febris urget, quorum vita aut stimulis indulget nimis, aut omnibus fere caret.

Neque considerantiam a medico minorem causae occasionales deposcunt. Omine haud febri febris comitata grassatur, cui graviores causae causam praebuerunt, et illae in primis, quae organicae compagis eversionem penitus minitantur. Ita compertum ab experientia habemus, quod magis sit metuenda febris, quam vehementiora genuerunt animi pathemata, solis aestus, venena, atque id genus alia, quae graviori intensitate polleant. In maximum quoque discrimen vocatur a febri qui, consueta evacuatione silente, a copia stimulorum multa premitur. Sed tutius erui judicium potest ex perpensis diligenter symptomatibus, queis machinae animalis morbosae actiones manifestantur. Hinc etsi pulsuum praeprimis conditio ut plurimum non sit existimanda, ad functionum tamen vitalium statum, et virium gradus summopere exprimendos valet. Pulsus nimia frequentia vigentis adbuc utcumqua hypersthenìae index est. Ubi autem cordis atque arteriarum motus crebriores constanter sint, saevius malum pollicetur: saepe enim latentes ab hoc animi adfectiones, vel contagia arguimus. Cum tali vero frequentiae cordis palpitatio accedat, metuendum ne musculari quoque systemati morbus irrepserit consentienti. Ita pulsus frequentes, et simul vigiliae, dolores, convulsiones nequam augurium sistunt. Contra mediocris frequentia optanda in fe-

bribus, atque inter laeta recensenda prosperi decursus momenta.

Pulsus rari, Vogel et Frank monentibus, quid gravis relinquant in febribus suspicandum. Cum enim hujusmodi conditio cordi atque arteriarum conditioni juncta conjici non possit, ita alicujus fere semper indolis indicium sufficiunt. Tales, quemadmodum etiam tardi sunt soporis saepe saepius, et convulsionis mox adventantis argumentum. Eadem quoque pulsuum norma in graviori typho hyposthenico atque in intermittentibus perniciosis frequens est.

Celeritas, quae inepte cum frequentia confunditur, erethismo plerumque et virium languori sociatur: unde tunicae arteriosae quasi stimuli sanguinei impatientes micant: quapropter celer pulsus aut nervosi morbi, aut convulsionum praenuncius est, aut suspicionem movet de instante diathesi hyposthenica.

Pulsus inaequalis vel intermittens cum utriusque diatheseos febribus esse poteat, et nerveum systema gravius pessumdatum saepius declarat, uti a penitioribus animi turbis, ab aliquo miasmate, a divulgata contagii actione atque aliis, vel localitate stipatur. Id vero in primis negligendum nequaquam erit, si pulsus inaequalis cum magno, raro, deciduo nectatur: quod si accidat, mala avis atque excitamentum vitale nullo modo compescendum refert: quando vero in dicrotum atque inaequalem vergit, febrem tunc ad solutionem ob haemorrhagiam aut profluvium aliquando non san-

guineum niti conspicimus. De intermittenti idem valat: neque tamen duplex hujusmodi pulsuum modus, cum vis praesertim aliqua inest, nos terreat semper. Funestior vero prognosis pronunciatur, si pulsus inaequalis in murum abeat; hic enim agonem subeuntes pervadit.

Haec quoad rhythmum, vim autem ipsorum considerantes: si fortis, vibrans, tensus et durus digitum explorantem percutiat, excessum in viribus atque adauctam vitalitatis incitationem docet; inflammationis saepe quidem antesignanus: sic Prosper Alpinus (1) aliique veteres medici animadverterunt, quod hujusmodi pulsus cum tussi conjuncti admodum metuendi sint: frequentius enim sequitur pneumonitis: ita duro forti cum vomitu ventriculi pluries, aut intestinorum phlogosim succedaneam fuisse refertur: sic quoque, juxta sententiam Hippocratis, in sequenti aphorismo hanc inflammationem flagitioso plerumque decursu terminari: » In febribus circa ventrem aestus » vehemens, et oris ventriculi dolor, malum (2) ». Pessime vero sors aegri trahitur, ut Tissot praebuit, cum durus simul, fortis ac frequentior sit. Sub hisce enim febribus vel continuo gradus intenditur, exacerbatur, furit, neque mitescit unquam, nisi pulsus frequentia, vis et durities quoque remittant. Cave tamen ne fortis et vibrans sibi sit qui magnus tantummodo: hic etenim po-

(1) De praesagiend. vita et morte.
(2) Aphor. 65. sect. 4.

tius sub intermittentibus frequentior exoptandus esset in febribus. Mollis quoque et magnus non secus ac parvus et contractus sua quidem praenuncia agnoscit. Magnum et mollem in febribus admodum desideremus: levis enim ex hoc virium abnormitas, et facili negotio auferenda colligitur: quin immo sub hac pulsuum conditione graviora etiam symptomata, uti delirium, sopor, convulsio nullam ponderis alicujus eversionem deducunt: qui si diu perstet, haemorrhagiae aliaeque salubres evacuationes, aut re ipsa accidunt copiosae, aut praestolandae sunt. Si pulsus magnitudo pereat, licet mollis, diathesim, Brunero loquente, in hyposthenicam abeuntem suspicari debemus.

Si diu ac nimis parvus contractusque sit pulsus, deterius aegrotantis periculum fit; qui non raro incitationi vehementiori accumbit.

Talis revera ubi se tentata exhibeat arteria, organorum inflammationes, membranarum praesertim, gastritis, enteritis, peritonitis prae aliis, et quandoque ipsa encephalitis instant. Graviora ominantur cum hi pulsus primis morbi diebus appareant: brevi enim anxietas, delirium, convulsiones sequuntur, vomitus adjungitur, et alia quoque gravia subnasci videntur.

Neque vero hic alias, quaeque Galeno, Solano ac Bordeu placuerunt, pulsuum ad prognostica divisiones enumerabimus; plurimis enim tenebris acatent, ut cuique pronum est respicere. Hoc denique monendum erit, quod nunquam eorum

obliviscatur medicus, quae ars docet sphigmica ad rectius pulsuum conditiones deprachendendas quae non omnibus propriae sunt aegris, et peculiari quodam modo innixae fulciuntur. Plurima quidem a variis respirationem agendi modis deprompta in febrium prognosi consilium suppetunt. Si frequentior, malae locum spei relinquit: tunc enim val de majori quam par sit sanguinis ad pulmonum adfluxu, vel da elata in pulmonibus, aut in praecordiis incitatione testatur. Pulsus vero frequentia et respiratione magna simul acrius ardentibus, pulmonum phlogosis aut haemorrhagiae instantis discrimen increbrescit. Cum porro magnus licet spiritus evadit rarus, tunc prostratam satis incitationem, delirium, soporem, ut Bruneri observationibus constat, opperiamur: sub hoc enim vel parva stimulis in organismum reactio est, vel delirio suborto, non cerebri praeterea debita ratione munus efficitur. Cum hujusmodi respirationi anhelitus etiam et delirium accrescant, pulmonum, juxta Hippocratem, aut encephali metuenda est inflammatio. Eidem vero pulmonum, diaphragmatis hepatisque morbo, si difficilis et quodam sensu doloris confecta: qui si dolor thoracis inter musculos defixit sibi sedem, perieulum levatur. Cum vero huic magis frequenti, maximus in pectore calor incendii fere ad instar, et sitis intensior comes sit, tunc vita in extremum quasi adducitur: sicuti etiam ab illa sublimi, quam, cum meteorismo plerumque conjuncta sit, meteoriticam Hippocrates nuncupavit, quaeque est eadem

ac Torti *anxia*, ac Strakii *asthmatica*, et quae, Vogelio et Burserio testibus, exanthematici alicujus morbi eruptionem designat.

A parva respiratione retardatum generatim incitamentum conjectamus, quod non adeo perspicuum, si frequentia non desideretur: in hac specie Hippocratis *luctuosa* collocatur. Aegro denium stertoroso, aut frequentius ab imo pectore suspiria ducenti canit securum funus ipse Hippocrates: idque magis, quam ab initio, in febris decursu, et cum nervosa languoris phaenomena adparuerint. Neque alia praetermittam ex Hippocratis oraculis decerpere hic adnotans quorum praesidium medentem facilius de futuro edoceat: » Si a febre detento, tumore in faucibus non existente, suffocatio ex improviso superveniat, lethale (1). In febribus spiritus offendens (id est » intercisus) malum, convulsionem enim significat (2) ». Relate ad modum quo conficitur respiratio, sequens sententia notari meretur: » Qui » ex morbo superfuturi sunt, facile spirant, dolore vacant, noctu dormiunt, aliaque securissima signa habent (3) ».

Sensatio frigoris quidem aut vera, vel tantummodo ad sensum prognostica varia apponit. Ita febris cum ab horrore vehementi ac diuturno magis initium sumat, violens et fera erumpet: ubi

(1) Aphor. 44. sect. 4.
(2) Aphor. 64. sect. 4.
(3) Praenot. 126.

autem continua febris et fortior recurrat horror, mali ingravescentis habetur significatio, quae quidem haud prospera consideranda est cum extrema frigent, ac aestus permagnus organa interna pervadit cum dolore, ut Galenus monet. Lethalis plerumque habendus horror vehemens, febre decurrenti, quam dolor auscipiat oculorum: saepe enim encephalitis imminet: alias angina, dolores, spasmi clonici, meteorismus properant. Ubi vero succedant horroribus, pulsus debiles, vertigines, virium languor, tendinum subsultus tunc funestius diatheseos in hyposthenicam mutatio minatur. Ex functionibus cerebri et sensuum laesis quoque prognosis facienda est. Et primum quoad delirium non omne aequo passu funus importat. In nonnullis mutato corporis tantum situ, ubi praecipue ab horizontis positione deflectant. Delirio prae aliis pueri et homines facile excitabiles ut plurimum laborant: declinante vero febris exacerbatione in his mens componitur. Ferox admodum est in febre hypersthenica in primis, quod dolore capitis acuto premitur, hypochondriorum retractione, singultu, vomitu ac stridore dentium: quae cuncta encephalitidem vocant. Si cum magno et raro spiritu atque rariori pulsu, tunc terribile atque eo magis ubi ad faruciam ducatur. Pessimum, si velimus Hippocratis doctrinae insistere, ubi urinae simul albae et crudae sint; ita fere quod, epistaxi superveniente, minime levatur: tunc enim saepe gravioris typhi hyposthenici, aut effusionis in capite sanguineae,

aut serosae praecursor est. Sic pariter cum delirantes aegri pertinaciter alimenta et potus respuant; cum dolores ad cervicem simul et dorsum ingruant, medullae spinalis inflammatio saepe locum babet. Denique nec remittenti aliquantulum delirio fidendum est: nam interdum, ut Tissot demonstrat, hoc subdole decurrit, medicos parum edoctos fallens.

Verum et somnus et sopor et pertinax agrypnia augurio inserviunt. Levis somnolentia in plerisque febribus cernitur, atque contingit in ipsa ephemera: ideoque ceu levi huic etiam supersedendum. Imo si recreans et modicus, laetandum est. Quare Hippocrates: » Somnus qui dolores sedat, bonus ». Gravia autem pollicetur, si profundus: graviora etiam, qui capitis, et colli sequitur dolores dum sanguis forti sub pulsu et vibranti e naribus erumpit; hic enim maximum anteit hypersthenicae gradum in systemate potissimum cerebrali, nec non in pulmonibus, instantem quocirca encephalitidem, aut pneumonitidem: lethalia vero plerumque ubi a pulsuum debilitate, artuum frigore et dejectionibus, quae se voluntatis imperio subducant, sopor non dividatur: tristia porro trahit sopor, qui post delirium. Quoad insomnia, ut Tissot monuit, ne certam hisce fidem adnectamus.

A vigilia, quae pertinax insistat, vehemens in febre hypersthenica cerebri incitatio edocetur, ita ut sensus tum interni minimas tum externi impressiones recipiant. Pessima vero habetur, quae

neque in die, neque in noctis spatio extenuatur. Saepe quidem vigiliam, delirium, motus convulsivos sopor praecurrit, aut cum ipsis decedit. Id praeterea animadvertendum, quod sanguis e naribus fluens, vigilias quandoque, ac sopores dissipet. At non omnis pariter vigilia et sopor tumultus causa. Aetatem, consuetudinem multum posse novimus. Quibus febre correptis vigilia innoxia fuit; ita diversa sub aetate modo magis, modo minus in somnolentiam, aut vigiliam ducuntur aegrotantes: senes enim in sopore stupent, dum puer et junior vigil torquetur. E sensuum laesione locale non semper vitium jure auspicamur: ex ea etenim aliquando non modo cerebri, verum etiam totius organismi status elucescit. Cophosis a nonnullis tamquam optimum salutis ac febris, quae jam solvatur, signum habetur; dum summe exitiosum ab aliis. Haec autem dissensio manavit inde, quod symptomata non relativo modo considerata sunt. Ea quidem febris altiorem gradum ostendit, cum usque ab initio vigeat: si autem febri decurrenti superaccedat, non talem a medico formidinem quaerit. Surditatem non raro delirium excipit, et letbale est signum si procedat post copiosas excretiones. Ast surditas interdum testatur de imminuta incitatione, tum cum manuum tremor, difficultas loquendi, urinae difficilis missio, motus musculares languidi, pulsus debiles: hinc universa virium hyposthenia jure consideranti aparitur. Jure igitur Hippocratea: » Si valde surdi comprehenduntur

4 ss

» tremore, et lingua resoluta, val torpida est, ma- » lum ». Exquisitior autem auditus, omnisque sonitus impatiens, ut levior agitatio aeris dolore molesto oscillet, altioris plerumque hypersthenae, atque minitatae in febri hypersthenica encephalitidis praeoccupator. Tutiorem symptomatibus, quae visum respiciunt, fiduciam accommodemus. Visus mutatur saepe, imminuitur, aufertur, quin adpareat vitium oculi organicum. Amblyopia, caligo, nedum amaurosis, febris gravitatem explicant, atque furentem frequentius ineunte morbo, incitationem systematis cerebralis; virium autem, ubi tardius malum in scenam prodeat, languorem ipsumque typhum hyposthenicum. Hinc Hippocrates: » Si viribus jam paene consumptis aeger » nil videat, letbale ». Quae mutationes tamen non adeo semper infelices: ita sub amaurosi vel amblyopia non raro molitur epistaxis, dum hypochondria praecipue tumida simul dolent, id quod Hippocrates et Prosper Alpinus testatur. Vomitus, aut verminatio praenunciantur, cum visus caligo tenebrosa jungatur labiorum tremori. Spectra, sciotillae ante oculos, sicuti etiam turgor et rubor, graviter ominari solent de clonicis spasmis, aut de cerebri inflammatione. Sic ex vasorum oculi statu in vasculari cerebri systemate conditio desumitur, adeo ut si sanguifera oculi magis turgeant et rubeant, vasa quoque carebri admodum distendantur. Oculi feroces etiam vehementem incitationem, aut cerebri inflammationem minantur: sicuti oculorum dolor ac lucis

intolerantia eadem oracula perhibent. Delirio, somnolentia, convulsivis motibus, sic ubi dolores oculorum lucisque intolerantia superveniant, profecto cerebrum inflammatione detineri tuto conjici potest, atque mors ipsa brevi insequitur, nisi forte larga epistaxi, vel salutaris artis auxilio promptius adhibito, tantum periculi averti possit. En quae motus muscularis phaenomena praestant. Convulsio variae indolis, aut paralyses oriuntur ab ipsorum laesione. In hoc tamen vario pacto prognosim moderabimur: alia enim erit, cum prima se morbi aetate convulsionea, aut cum in posterum ostendant: cum diuturnae et constantes sint, aut brevi desinant; sic varia quoque conditio subjecti prognosim cohibebit. Satis ex praxi constat eam, quae se jactet primis diebus morbi, irritam secum trahere catervam phaenomenorum; spes enim alitur, quod remedius opportune propinatis exulent: ita quoque, quae brevi desinit nullo dolore, aut miti; e contra si dolor non desit. Ideoque Hippocrates: » Convulsiones, et circa viscera fortes dolores, malum in morbis febrilibus quibuscumque ». Post has enim saepe irruunt haemorrhagiae internae, vel inflammationea.

Convulsio quae vehemens et diuturna, eadem et mala est: atque iterum Hippocrates: »Si rigor » inciderit in febri, neque intermittit, exitialis ». Formidabilis quoque fuit et quae gravioribus symptomatibus praeeuntibus insiat, et quam delirium praeripit: huic enim, ut Willisius inspexit, cere-

bri plerumque inflammatio adnectitur. Quae venit post immodicas evacuationes in diuturniori in primis febris aetate, diatheseos in hyposthenicam propius commutationem, in senibus autem potissimum apoplexiam, vel paralyses monet. Ceterum id non ignaris dicatur, non semper eadem a convulsionibus praenunciari: saepe enim in pueris, in feminis hystericis, in hypochondriacis hominibus, innocens, ut ita loquar, domicilium defixerunt.

A singultu in febribus, semper diaphragmatis aut ventriculi, pulmonum, encephali suspicamur inflammationibus, si qua incitationis signa adauctae in hisce organis accedant: atque haec veritatis Hippocratis et Prosperi Alpini testimonio fulcitur. Cordis palpitatio assidua plura suadet: nunc diathesim altioris gradus hypersthenicam, nunc proximam jam, quae huic contra sita est, nunc internas, aut externas haemorrhagias.

Ut quaedam proferamus etiam de tendinum subsultu, tunc in hyperathenicis longe frequentius carere febribus quam in hyposthenicis videmus: in illis tamen etiam occurrisse constat: revera dum quaedam diu contagia lateant, aut exanthematis explosio contingat, frequenter in febre hypersthenica hoc symptoma se prodit. Frequentius vero tum de typho hyposthenico practici reformidant. Rosenstein vero saepe de eclampsi, si sermo sit de infantibus (1).

(1) Tratt. delle malatt. de' bamb. Mil. 1780. interpr. ital.

Ut vero faciamus gradum ad functiones, quae voluntatis arbitrio subditae sunt, et naturales; constans primum cibis et potibus adversatio, nausea pertinax, nec in morbis tantum, sed tum etiam cum aeger convaluit, non inter prospera symptomata recensentur. Suspicionem vomitus, qui non semper ex se malus, tum ciet, cum dolor simul ventriculi, pulsatio, ardor epigastrii, sitis ingens: quae ubi comparuerunt, gastritidis properantiam Hoffmannus indicavit. Infaustus quocirca a Brunero nuncupatus est vomitus, qui sit cum dolore epigastrii, hypochondriorum tensione, singultu, oculorum rubore, pulsibus duris et contractis. Ille autem, cui se comites praebent, delirium, sanguinis guttulae e naribus fluentes, capitis dolor, surditas, vigilia, maximam systematis cerebralis perturbationem, ideoque instantem encephalitidem praegreditur.

Sed functiones intestinorum laesae, ingens medicis auxilium ad febrium prognosim. Alvi constipatio post diarrhoeam interdum a periculo non disjungitur: irritatio enim, qua ductus secretorii atque intestinorum fibrae detinentur, contrahit intestine, atque alvum cohibet. Talis interdum evacuationis vehementia est, ut nullo modo arceri possit, atque illico hyposthenia contingit, vel si jam adfuerat, irreparabilis virium exhaustio accedit. At diarrhoea quandoque critica est, et plerumque, licet et in reliquis, in febribus saburralibus, et praecipue biliosis. Inter futurae alvinae excretionis notas quam remissio non fallat,

aequentia nonnulli numerant, et praesertim clariss. prof. ab Hildenbrand: » Signa saburrae deorsum turgentis, ventris murmura, lumborum » dolor, gravitas extremitatum inferiorum, lingua » tremula, nasus rubicundior, caloris et ardoris » aensus per universum corpus, pulsus parvi, interdum intermittentes (1) ».

An tutius inde judicium fluit? An ejusmodi crisis ceu levaminis causam incusabimus? Egregie in hoc Brunerus optimi indicii diarrhoeam statuit, quae ventris dolores atque tensionem aufert, quae pulsus minus frequentes efficit ac molliores, quaa cutis ariditatem decrispat, sitim moderatur, dissipat vigiliam. Diarrhoea haec veteri medicinae crisis naturae fuit, in quam per alvum materies morbosa expellebatur: nobis autem nobilior totius organismi consensus atque irritatio, ideoque ad vasa etiam intestinalia divulgati. Salubris itaque compellabitur, si modica atque cum levamine. Ubi vero nullum servet, nec in fluxu, neque in coercione modum, vires vitales derepente dejicit atque prosternit: si foetida aut involuntaria, resolutis viribus, delirium, typhum hyposthenicum, aut paralyticas proxime adfectiones minatur. Hinc Hippocrates (2): » Dejectiones nigraa, qualia sanguis niger, sponte prodeuntes, » malae ».

Quae diximus circa diarrhoeam criticam, de

(1) De febrib. general. Tom. I. pag. 124. Vindob. 1816.
(2) Aphor. 21. sect. 4.

urinis quidem criticis dictis repetenda. De febribus cunctis, ubi nervosas exceperim; determinant urinae, ubi aliis praesertim evacuationibus firmentur. Futuras praenunciant hypochondria plena, cutis et lingua siccior, sitis aucta, tensio et gravitas in lumbis, pruritus in pudendis, ardor vesicae, crebrior mingendi conatus, interdum stranguria et ischuria temporaria, aut praegresso levi frigore, pulsuum mollescentia et collapsus. Optimis urinis salubribus accensendae in genere sunt eae, quae moderate copiosae, vix odorae, sub mictu limpidae, saturate tinctae, quasi pingues, a mictu turbidae, hypostasin deponentes cito subsidentem, copiosam, levem, albescentem, quae eo melioris notae est, quo magis ad album vergit colorem (1). Ab urinis vero constanter aquosis, ac spasticis in febre hyperstbenica aut vehemens incitatio vitalis, aut varia cerebri nervorumque turba non separatur. Cum urinae repente ex crassioribus aquosam tenuitatem inducunt, metastasis in cerebro praedicant. Nunc superest ut quaedam ex Hippocrate de criticis urinis exponam: » Febricitare incipientibus sanguinis stillationes cum » sternutatione incedentes, et quod in urina de» sidet album, quarto die visum, septimo solu» tionem adfore denunciant (2). Urina in febre al» bum et leve depositum habens sedimentum, ce» lerem deliberationem denunciat: celerem quo-

(1) Hildebrand Op. cit. p. 125

(2) Coac. 149.

» que quae diluta in discretam quamdam habet
» pinguedinem (1). Quae quarto die subrubram
» nubeculam capit, septimo die liberat, dum re-
» liqua pro ratione habeant (2). Quibus febrici-
» tantibus in urinis subsidenti fiunt crassiori sic-
» ut farinae similes longam infirmitatem signifi-
» cant » (3).

Nec sudor quidem indicia desiderat: et criticus revera, qui veterum perscrutanti oculo non aufugit, et excretionea cunctas frequentia vincit, nullius febris prognosim relinquit. Sicuti enim causae febrium, et quidem ab epidemicis contagiis exortarum vix non omnes cutem laedant primario loco, ita etiam cutaneae excretiones maximi in febre quaque assentiali momenti sunt.

Praedicere autem hanc criticam evacuationem licebit si praegresso recenti, vel levi horrore turbae criticae dictae insecutae, calor intense auctus, alvus clausa, urinae paucae, cutis pruriens, rubens et mollis, quae prius arida fuit, pulsusque arteriarum prius duri mollescunt. Sed in maxima existimatione habetur a Solano (4) praecipue atque Bordeu (5) pulsus inciduus nuncupatus, continuo amplior et mollior, in hoc sudore praedicendo. Optimus sudor criticus est, nonnullis te-

(1) Hippocr. coac. 575.
(2) Id. ibid.
(3) Id. aphor. 31. sect. 7.
(4) Lapis Lydius Apollin. Madrid 1734.
(5) Récherches sur le pouls par rapport aux crises.

stantibus, qui universalis, aequabilis, vaporosus, odoris subacliduli (1).

Ast sudores causae, an indicium levaminis? Quam merito nonnulli defendunt sudore locali localem adfectionem levari? Quod licet non omni semper veritate destitutum sit; attamen quam trepidanti animo hunc ita fluentem non respiciemus, cum incassum conflictari partem evincant? Exemplo sit febris hypersthenica, in qua cum pulsus continuo durus et vibrans est, spiritus difficilis et anxius perdurat, et simul obducitur copioso sudore pectus, tunc, malo omine, pulmonum incitamentum elatius, neque ita compescendum arguitur.

Demum cum sudore copioso nimis, et pulsibus mire inaequalibus instans hyposthenica diathesis, aut typhum quoque hyposthenicum incedit. Extant etiam in hac re Hippocratis apophthegmata, veluti: » Sudores febricitantium extra dies cri» ticos orti laborem significant, et morbi longi» tudinem, et recidivas (2). Febricitanti sudor su» perveniens, febre non remittente, malum. Pro» longatur enim morbus, et copiosiorem humidi» tatem indicat (3)».

Haemorrhagiae quidem nunc juvant in febribus, nunc nocent. Utilitati generatim cedunt, in febri tantummodo hypersthenica: ubi enim hyper-

(1) Hildenbrand Op. cit. pag. 125.

(2) Aphor. 39. sect. 4.

(3) Ibid. 56. sect. 4.

sthenica sit, et levios sanguinis amissio, eo magis vires prosternit. Relate ad febrem hypersthenicam utilius haemorrhagia in prima morbi aetate, quam declinante facit: moderatam commodamque significat symptomatum levamen: immodicam et damnosam contra extremorum frigus, pulsuum debilitas ac intermittentia, sudores frigidi, et convulsivi motus, tendinum subsultus, et non raro syncope etiam ipsa.

Si vero nimium tenuis ad febrem sedandam minime par sit, tunc altiorem hypersthenіae gradum metitur. Quae haemorrhagiae vero, quamvis fugare, aut minuere febres nesciant, locales tamen adfectiones frequentius aut fugant, aut minuunt. Symptomatum cujusvis haemorrhagiae enumeratio, quae hic inserenda esset, ad inflammationes antequam ad febres respicere videtur.

Ab universo quoque corporis habitu criteria febrium promanant. Et quidem hypersthenicae, si turgor universalis summopere adauctus, facies praecipue rubra, palpebrae quidem rubrae et turgentes, atque oculi micantes, et quidem encephalitidis si sopor, delirium, capitis dolor ad occiput praesertim, et motus convulsivus. Ex pallore faciei duplex significatio: nam diathesi utrique coit: hypersthenicae nunc, modo hyposthenicae: et quandoque etiam non ex diathesi, verum potius a subdita causa pendet, sicuti in hominibus hypochondriacis, in feminis hystericis, in infantibus verminatione detentis perspicuum est. Nunquam itaque ab illis sejunctum, quae diatheseos indo-

lem statuunt, pallorem considerabimus. Linguae, quamquam istiusmodi phaenomenis non semper tutius imiti possimus, siccitas, durities, nigredo, ariditas, oris ingens calor, ac sitis intensa vehementioris plerumque incitationis asseclae sunt.

Febrium decursu et complicatione consideratis, hoc de prognosi argumentum exactum babebimus. Si decursus regularis, neque aberratione deductus incedat, potior conditio, quam si anomalus et irregularis. Complicatio quo levior, eo metuenda minus: e contra ut plurimum timendum dum plures characteres cernuntur. Succurrat prae aliis exemplo febris puerperalis, quae ob multifarios comitantes characteres, plerumque lethalis, ingens adeo mulierum agmen de medio tollit.

Haec de febrium prognosi. Nunc, ut omnium dubitationi laeto animo satisfaciam, febres generatim sanitate frequentius quam morte dicam terminari: secus enim actum jam esset de humano genere. Et quamvis integrae ipsarum species funestissimae esse soleant, aliae tamen longe plures in decursu lenes, immo interdum salutis reparatrices videntur, levi, aut nullo saepe medicamentorum adparatu prostratae, nisi tunc forte cum gravioribus medicorum peccatis consulunt.

THESES DEFENDENDAE

I.

Seminium morbi Gaubü a diathesi brunoniana differt.

II.

Lues venerea homini solo propria.

III.

Hydrophobia energicam methodum antiphlogisticam deposcit.

IV.

Nullum est in natura venenum.

V.

Lues syphilitica sanationem spontaneam non admittit.

VI.

Virtus medica pharmacorum variat pro diversa adplicationis ratione et dosi.

VII.

Tartratis lixivae et stibii actio neque simplex stimulans, neque controstimulans est.